quę ei placita sunt subdens, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. i. placent
mihi; Tua inquid. i. ea quę penes te habes, & in conspectu meo sunt. i. in promptu nec re-
quiruntur exterius, hęc autem sunt laudes & vera confessio nominis mei, De quibus ali-
bi psalmista; In me sunt deus vota tua; & cetera. Non accipiam de domo tua vitulos, Per vitu-
lulos & ircos omnium animantium sacrificia accipe; Non inquit iam placebit mihi
nullum tale sacrificium de domo tua. i. de sacerdotali familia. Quidam allegori-
zant hunc versum (locum). Per vitulos leves & instabiles accipientes qui per campos huius vi-
tę effrenate & absque ullius disciplinę iugo lasciviunt, Per ircos vero petulan-
tes. i. luxuriantes & peccatis olidos intellegentes qui nequaquam admittuntur
in sacrificio dei nisi agni & oves effecti fuerint. Quoniam meę sunt omnes feræ silvarum. i.
etiam ea quę tu habere non potes mihi famulantur & subditæ sunt. Sed & hoc nihilominus
allegorizant alii; Per iumenta simplices & minus doctos accipientes quę sunt in
montibus; accipientes. i. in sublimi conversatione virtutum constitutos. Boves vero
dicunt significare perfectiores sanctos scilicet doctores & prędicatores, qui terram hu-
mani cordis ligone exarant prędicationis; Feras quoque silvarum gentes idolatrię
erroribus implicatas intellegunt, Serviunt enim huiusmodi ligno & lapidi
& bestialiter omnia aguntur feritate; Si esuriero non dicam tibi. Dominus numquam ullius
temporalis cibi inedia passus est; Sed esurire dicitur angelica contemplatione, pura
& sinceram hominum fide; Unde ipse in evangelio. Meus cibus est ut faciam volun-
tatem patris mei qui in cęlis est. Numquid manducabo carnes taurorum aut
sanguinem ircorum potabo. Non inquit indigeo sacrificia talia expetere. ut eis
explear & reficiar. Immola deo sacrificium laudis, Reprobato legali laudis scilicet
& rectę confessionis. redde inquit altissimo vota tua; Tua videlicet. i. ea quę pe-
nes te habes. & cum hęc omnia feceris. invoca me in die tribulationis. i. in tempore
cuiuscumque afflictionis, & eruam te. pressum calamitatibus & miseria. & honorifi-
cabis me. scilicet laude tua. Illius quippe laus dominum honorat qui ei bonorum operum
holocausta immolat; At hi sunt qui ore deum confitentur. sed factis negant